...dus
...rdinalis

Clobucii Joannis: Illmo ac Revo D. D.
Bernardo Maciejowski S. R. E. Card.
Ep. Crac. — gratulatio.

Cracoviae. 1604.

ILL^MO AC REVER^MO DOMINO
D. BERNARDO
MACIEIOWSKI, S. R. E. CARdinali, Episcopo Cracouien: ac Seuerien Duci, &c. &c. fausto omine, post delatum sibi amplissimum Cardinalatus honorem, Cracouiam ingredienti,

GRATVLATIO:

A M. Ioanne Clobucio in Academia Cracouien Regio Professore, perpetuæ obseruantiæ ergô dicata.

CRACOVIÆ,
Anno Domini 1604.

GRATVLATIO.

INSOLENTEM TEMERITA-tisq; vitio subiectum me quispiam arguet, Cardinalium amplissime: quòd vnus è schola, ne mediocriter quidem in dicendo versatus, te tanta dignitate sublimem, in principem orbis terrarum Senatum, ingenti patriæ & omnium bonorum gaudio, cooptatum, gratulationis officio conuenire ausus fuerim. Nam & si in tanto fastigio serues eam comitatem, facilitatem, & modestiã, quæ etiam principe viro minor esse videatur: mei tamen erat pudoris, meæ verecundiæ, meminisse; non quod tu non fecisses neque adduci posses, propter naturæ tuæ benignitatem vt faceres; sed quod me facere æquum fuisset. Æquissimum porrò & ipse existimo de nunquam satis laudatis viris, silere potiùs reuerenter quàm parum eos videri ornauisse. Quòd vulgus legentium tanti virtutes faciat eorum, quanti fecerint illi, qui eas in litteras mittunt: putoq; id sollicitos maximè summos viros tenuisse, à quibus nimirum celebrarentur. Hoc enim est illud, quod neq; à quouis pingi, neque à quouis fingi, Macedo voluerit: & Sylla ne mali Poëtæ scriptis, contaminaretur potiùs quàm laudaretur, pretio redemerit. Hæc igitur cogitatio poterat animum meum à scribẽdo reuo-

cauisse, nisi motus quidam animi vehemētior quàm vt posset inhiberi, à pietate incredibili amoreq; laudum ac diuinarum virtutum tuarum profectus, omnem meam cunctationem fregisset. Solent enī nimiæ lætitiæ decoris & grauitatis esse imemores, nihilq; nobis tàm non licet, quàm superfluentem & exuberantem animi affectum reprimere. In hac verò publica hominum omnium, non solùm nostræ gentis, sed etiam externarum, ad quas modò fama tanti nuncij peruasit, lætitia, num decuisset me non esse lætum, atque hilarem? cum sim Academicus homo, in quem nihil ornamenti nisi ex amplissimo splendore Cancellariatus tui redundare potest; & quicquid felicitatis in omni reliqua vita mihi speratur, hinc tanquam ex fonte sit hauriendum. Cederent quoque inter clientem & Patronum vincula, quæ solent esse arctissima: extorsisset à me communis Academiæ causa, vt Principi illius vellem, quicquid modo possem ex animo. Nonné enim corona Academię Cancellarius est? in quem quantò plures dignationes confluxerint, tantò beatiores, florentiores, & auctiores nos Academici, tantoq; omni nomine bono cumulatiores, euasimus. Nam vt à capite omnis vigor in membra cætera; sic omnis splendor à Principe, in reliquos ciues emanare consueuit. Si nos igitur ciues tui, & ciues, in Ciuitate

cui Dei nutu praees, viccariam tibi operam nauātes, cur quicquid in te etiam summum confertur splendoris, nobis commune esse non debeat? cur ab hac lætitia, quæ ex tuo Cardinalatu in totum Regnū maxima redundauit, nos tua secundùm nobiliorem partem propago excluderemur? non capit hos mores natura tua, non fert humanitas singularis, vt eos, quos semel diligendos tibi sanctè confirmasti, in summa honorum constitutus, desereres, abiiceres, ac repudiares. Quoniam verò ab hac laude proficisceris, & quicquid es ex hoc es: conuenit bonitati tuæ non habere seiunctam à nobis felicitatem istam; sicut æquissimum nos etiam esse censemus, quocunque modo tandem possemus, tuo honori inseruire pro virilíq; parte agere, vt in hoc loco, in quo diuino fauore positi sumus, ratio tibi otij nostri, & quidem nulli alij magis, cōstaret. In qua reddenda meam esse occupatam sortem volui, vt antè actæ vitæ tuæ splendorem litteris distinguerem: quò intelligere queant omnes, qui in te oculos nunc sustulerunt, summa te omnia expectauisse, antequam ea fuisses adeptus: & postquam contigerunt, his facultatibus animi & fortunæ te esse cumulatum; vt non solùm dignitatem virtute partam tueri, sed etiā amplificare & ornare abundè queas. Faueat mihi quæso insita modestia moribus tuis, quæ quò magis

omnia

omnia encomia, omnes laudationes atq; panegyricos, etiam ex vetere sæculo, superat, cò minus his extollitur: nō alia parte beatior; quàm quod meretur.

Credo teipsum Cardinalium amplissime, prima fama delati tibi augustissimi honoris accepta, diu in variis cogitationibus admirabundum hæsisse: non consideratione dignitatis, quæ tibi amplissima quidem; sed non præter opinionem omniū accidit: sed hominum studii atq; lætitiæ, quæ incredibilem in modum propè omnium animos limphauit. Hunc enim affectum, non potuit nisi summus amor, summa in te pietas, quod tibi maximæ voluptati esse debet, expressisse. Nisi enim amabilē te omni hominum ætati, omni ordini; tuis moribus præstitisses, illum inusitatum, nouum, & insolitum, in omnibus ferè huius Vrbis templis, hominum concursum, qui ad soluenda vota, pro læto nuncio, delati tibi amplissimi honoris accepto; ex omnibus tectis confluxerunt, oculis nostris non contrectassemus. Adhuc in votis & in expectatione hic tuus Cardinalatus fuit, cùm desiderio tanti splendoris ex nostra patria, orbitate duorum summorum virorum, sublati, hoc vnum publicis priuatisq; precationibus, hoc per omnia templa quotidianis immolationibus, hoc ad omnia puluinaria solennibus supplicationibus repetitis; hoc vnum religiosi homines, hoc clerus,

rus, hoc ciues cum coniugibus & liberisq́ Deo flagitarent, vt decus, fato quodam patriæ ad tempus ademptum, beneficio Clementis summi & optimi nostrisq́; rebus fauentissimi Pōtificis, restitueretur. Nec defuit votis pro tua dignitate susceptis, numen benignum, quod tantò faciliùs exoratur; quantò, quod petitur, á pietate & synceritate votorum maiore emanauit. Quid autem tàm fuit pium, quàm optare ornatam esse amplitudinem Ecclesiæ, in aliquo singulari viro, quem vnicum summa sedes Bernardum Macieouium agnouit, in quo certatim sese ostentant & iactant omnia, quæ vix singula cæteris decus acquirunt. In quo enim vno tot expressa sunt vestigia summarum & excelsarum virtutum? cui aliquando tam largè & quasi virgula diuina omnia sunt suppeditata? cui vel in externis, vel in animi dotibus, tantum Deus optimus Max. indulsit? cui fata tám obsecundarunt, vt quæcunq; adeptus esset vel amplissima, ea illi præter ambitionem, meritò virtutum, vti tibi contigissent? cæteri rogant, prensant, fauores captant, fores primariorum virorum occupant, vt ad summa tandem eluctentur: tu expetitus & rogatus, non minimam partem amplitudinis es consequutus. Quota enim parte honoris cumulatum te vidimus, quam publicæ voces, quæ oraculi vim habent, non antecesserint? quātæ con-

tentio-

tentiones pro te etiam inter priuatos, dum quisq; suis fauet suscipiebantur? quanti encomiorum cumuli dum hic pietatem, alius humanitatem, pleriq; bonitatem naturæ tuæ in cælum vehunt? Quam n. sibi existimationem alii extortam esse volunt, tu ipsius nihil anxius tantam habes, quanta & immortalitatis metas transgreditur. In felicitatis hæc aliquis loco duxerit, ego in virtutum arce colloco, abstinentē agere dignitatisq; incuriosum, & tamen omnia ornamenta vltro consequi. Nam qui sic dignitates adipiscuntur, non possunt non meruisse. Quis autem felicitatis suæ magis faber quam tu? cui ab ineunte ætate, omnia studia pro summa gloria suscepta fuerunt. Non enim sola vetustissimæ gentis tuæ prosapia, quæ nunc in amplissimo honorū culmine per te locata, tantùm ad sydera spectat, ad summam rerum niti voluisti; (hac enim pleriq; superbia dicam an ignauia & mollitie animi tument) sed quātùm in te fuit elaborasti, vt quod ex alienis meritis sibi alii arrogant, id tibi vt ex tua virtute concedi posset. Sciebas enim maiores omnia quę licet posteris suis reliquisse, diuitias, imagines, titulos, porrò virtutem, memoriā sui præclaram, non reliquisse, neq; potuisse: ea sola neq; dantur dono, neq; accipiuntur. Voluebas & illud, ad bonitatem hæc non multum prodesse, magis etiam obesse: nisi ex-

honesta

honesta disciplina tanquam ex radice succrescant. Multi enim in sublimi geniti, eos ipsos à quibus orti sunt dedecorauerūt: quia plus in illis, quám in seipsis præsidii, ad vitæ splendorem posuerunt; tu semper magis studio habuisti, tua ipsius decora, vbi primum per ætatem & per merita licuit ostentare: miserum esse ducens alienæ famæ incūbere. Namq; sicut animalia bruta, quamuis laudatis parentib. orta, tamen nemo generosa optat, sed fortia: sic homines appellari iure nobiles nequeunt, nisi virtute propria commendati. Quod cùm exploratum haberes, pueritiam partim domestica, partim externa disciplina nutriuisti, tantumq; in litteris operæ & studii posuisti, quantum ad Polyticum vsum pernobili viro, non solùm sufficeret; sed etiam superesset Adolescentiá per omnia militaria & castrensia studia exercuisti; hastas, vexilla, phaleras, equos, aliaq; militaria dona, quæ adolescenti calcar ad virtutem addunt, frequentisimè, cumulatus insuper laudibus Imperatorū, reportasti: in qualibet acie maturæ virtutis indolem ostendisti, neminē vnum fuisse fama hucusq; fert cuius magis opera sæpè pugna esset restituta, neminem qui acrius hostis iugulum premeret, nec alium adolescentem fuisse, cuius strenuè ac fortiter facta in bello, plura memorari possint. Seruant campi vestigia sudorū tuorum, indi-

cant arbores refectiones tuas, ſomnum ſaxa prætexunt, laudem ſtrenuis, ſolatium inualidis, exemplũ te omnibus dediſti. Hoc ſæpè aliis in lingua ſedet qui nunquam caſtra viderunt, nunquã in acie ſteterunt, nunquam deniq; tubarum ſonũ niſi in ſpectaculis audiuerunt, quod tu factis & re ipſa præſtitiſti. Quo nomine longè primus bello, Polonæ iuuentutis habitus es, nec glorioſiùs vlli actam adoleſcentiam poſset quiſpiam memorare. Quid enim vnquam præceps, quid temerarium, aut per inſolentiam animi ſuperbum, quæ vitia adoleſcentiæ ſunt propria, in te fuit animaduerſum? Magna quædam exempla iam in hanc ætatem cadebant, quorũ meritò à tuis quidem fauorem & ſtudium conſequebare; hoſtibus terrorem iniiciebas. Hæc belli decora: te ex caſtris in aulam principum, ad captandam rerũ maiorum occaſionem dimiſerunt; hæc tibi aditum ad gratiam Sereniſsimorum Regum, & Imperatorũ quibus notior ex fama, quam ex facie eſſe ſtuduiſti præſtruxerunt. Acceſsit ad beneuolentiam promerendã, quod ea ætate te aulæ tradidiſses, quæ opportuna Principum obſequiis, exercita rebus, valida vſibus, integra ad omnia obeunda & ſuſtinenda, ſatiſq; per ſe inſtructa, omni rerum gerendarum facultate eſſet: & in quam nihil molle, ob induſtriam; nihil diſſolutum, ob grauitatem; nihil præceps: ob

ingenii

ingenii acumen, potuit irrepsisse. Quamuis enim non deerant (vt sunt infinita & quidẽ in aula) quæ iuuentam tuam solicitare ad deuia possent: tu tamẽ quasi iam satis maturuisses, ad omnes Syrenũ blandicias tanquam fortis & prudens Vlysses aures obstruxisti: cætera omnia præter virtutem, insidias existimans. Quis enim negare potest, multas peccãdi occasiones iuuenem sequi, & quidem pernobilem circumstant opes, adsunt corruptores, adulatores: hystriones, qui florentis ætatis arcem petunt: dum hic conuiuia & magnificas mensas prædicat, ille corporis dotes celebrat, alius fortunas & latifundia cõmemorat, parsimoniã damnat: frugalitatem ad orcum relegat, & quibus potest artibus, vt naturæ & fortunæ bonis abutaris suadet; ad hæc & alia eiusmodi, nescio quis non moueretur, quamuis saxeus esset: at tu quæ summa continentię tuæ laus semper fuit, hæc tanquam indole tua indigna, & barbaris potiùs quám ingenuis persuadenda, omnibus execranda modis duxisti: vt iuuenis ostenderes, qualis mox vir eras futurus. Non est dubium, quin legeris Scipionem viginti quatuor annorum Prætorem, in Hispaniam missum, Carthaginisq; victorem, non tantùm gloriæ ob eam victoriam tulisse; quantùm ob virginem pulcherimam, ad cuius aspectum concurrebatur sponso suo restitutam. Nec te præteribat,

plus laudis Alexandro illam erga filias Darii continentiam peperisse; quàm bella per totum orbem gesta. Quid enim prętererire te potuit, omni liberali doctrina ab ineunte ætate imbutum,& veteris anteriorisq; memoriæ scientissimum,& qui vtraq; laude florere semper velles, vt & Reipub. seruires & litterarum studia non omitteres. Non eos homines sequutus, qui sic se litteris dedunt, vt res cæteras parui faciant, quales fuisse Democritũ, Diogenemq; constat,qui sibi duntaxat uixerunt; sed illos omni laude cumulatos, Platonem, Demosthenẽ, Ciceronem,Plinium,qui quod ex litteris hauserunt, in administranda Repub. exercebant. Idem & tu statim à prima adolescentia faciebas, nunc arma tractasti, nunc consilio adfuisti, nunc iudiciis præfuisti,nunc rem familiarem respiciebas,& in his omnibus quid valerent litteræ experiebare: ocii vtilitatẽ cum negotii cõmodo coniungens, miramq; de te spem omnibus, sed præcipuè Principi, cui approbari omnia studia viri aulici debent, faciens. Turpe enim duxisti eas dotes, quas natura ad cõparandas bonas artes, huic ætati tribuit, in ocio, fædisq; voluptatibus consumere: quod vel maximè iuuentutem deceat probitas & industria, non sumptus,non diuitiæ non tumor inanis aut præsumptio. His enim malis ætas hęc eneruata,miserã senectutẽ expectat: á quo

infelicitatis genere, vna te virtutum omnium custos
modestia asseruit. Quando enim tu nimium atq;
immodicè, qui feruor ętati huic inest, de tuis operib.
meministi? Est quorundam iuuenum hæc demens
vanitas, vt cum nihil nisi perperam fecerint, magni-
fica vtiq; verba de se exorsi, nullum finem faciant:
quasi quemadmodum de suis rebus meminisse; ita
& aliis audire sit iucundum. A te porrò nihil tam a-
lienum semper fuit, quàm personatū & fictum ho-
minem agere: proindeq; quos semel in consuetudi-
nem tuam admiseras, semper amicissimos habuisti:
neq; minimum morum acerbitate, quod frequens
in amicitia est vitium, aut abalienasti, aut perdidisti.
Magna hæc est & rara in amicitia virtus, non com-
mittere vt odio dignus aliquādo videri possis: Nam
si Socrati credimus, inuidia in amicorū prosperitate
regnat, huic verò vel in aulis præcipua est sedes: vbi
quo quisq; ex fama spectatior, eo infra se positis in-
uisior. Hæc te pestis per omnē dignitatum decursū,
ne quidem attigit. Primus honor aulicæ militię, tibi
non sine ornamento insigni iuuenilis decoris con-
tigit, vt vexillum Regi, si quando illum in bellū e-
xire necesse esset præferes nō est facile dictu quàm
mirè te decuit: Erat facies liberalis multo rubore
suffusa, ingenua totiꝰ corporis pulchritudo, & quidā
Senatorius decor, adhæc proceritas decētissima qua
sic pro-

ſic procul eminebas, vt Heſperus inter ſydera: prę-terea nullus horror in vultu, nulla triſtitia, multum iuuenilis gratiæ, oculi clari ac nitidi; os verecundũ & rubidum, vultus ſerenus & tranquillus, reliqua deniq; membra adeò incredibili harmonia inter ſe conſentientia, vt qui ſemel Macieiouium vidiſset, non facilè memoriam ipſius deponeret: quæ licèt fortuita & inania putentur, tibi tamen illud ætatis plurimum admirationis acquirebant. Rectè dicunt Philoſophi: Non poſſe turpem animum in eximio corpore habitare: ſiquidem rarò improbitas in e-gregio corpore fuit comperta. Quo magis tibi lau-di eſt, quòd ad eam corporis dignitatem, ſingularem bonitatem adiungeres: qua non ſolùm tui ſimiles; ſed etiã ſenes prouocabas: quorum authoritati bre-ui eras exæquandus. Quid enim vidit aula te veri-us, quid ſimplicius, quid candidius, quid fidelius? Non potuit ſuſtinere diutiùs hunc virtutum ſplen-dorem, locus ille quem tum obtinebas: ſubinde a-liæ dignitates ſequutæ ſunt, alia atq; alia rerum ne-gotiorumq; mole, humeri tui onerabãtur: robuſti quidẽ ac ad omnes rerum difficultates benè firma-ti, quibus tamen alius ſuccumberet. Nihil difficile ſine te actum, nulla maior res abſq; te tractata, á nul lo conſilio excludebaris, quæ, quantum in aulica praxi verſatus fueris, ſatis arguunt. Inſpirauit tan-

dem Deus, immiſitq; in mentem tuam, cogitationem de vitæ tranquillitate & vera felicitate: quòd puſilli animi duceres inaurari: & mens tua generoſa atq; alta ad cæleſtes theſauros anhelaret. Obtinuiſti proinde vacationem, ſed ab aulæ muneribus tantùm, vt ſequentibus ſublimioribus meliùs te conſecrares. Sacerdotio itaq; honeſtiſsimo in ampliſsima Eccleſia Cathedrali Cracouieñ. ornatus, totum te ſacris deuouiſti: & quod diu parturiebat animus cultum diuinũ vnicum vitæ portum delegiſti: exemplo prælucens, & omnes virtutes veri ſacerdotis implens: nemini deuotione aſsiduitateq; orandi, nemini pietate cedebas: nemo animum puriorem caſtioremq; ad faciendam rem diuinam attulit, nemo maiore zelo Eccleſiam propugnauit, nemo pro religione magis animatus fuit, nemo ed extremũ Sacerdotii fructibus meliùs eſt vſus. Conteptus pecuniæ tantus: vt nihil præter neceſſaria diurno victui ſeruares: pauperum tam frequens ſuſtentatio; vt nullius domus hoc genere hominum magis impleretur. Somnus, cibus, potusq; modicus, & non ad voluptatem, aut ſacietatem; ſed ad neceſsitatem, aliquãdo etiam infra ſumptus. Itaq; omnes ex Collegio ampliſsimo Crac: Canonicorũ quemadmodum par erat, te venerabãtur, diuiniq; vigoris quiddam tibi ineſſe credebant: his verò tu dotibus ad

auguſti-

augustius Ecclesiæ theatrum ferebare: nõ enim diũ tantam virtutem angustis arctari finibus passus est, Rex Optimus & sempiterna memoria dignissimus Sigismũdus III. cuius immortalia in Remp. facta, multæ res præclarè gestæ, & administratæ loquentur; sed fecit quod sapientissimi Principes in optimè constituta Republica facere solent, præmia benè meritis constituunt, vt reliquos ciues, ad bonas artes acuant: & solatia gloriosa obiectant, ne sit graue, etiam duram in Reipub. rebus prouinciam sustinere: Ecclesiæ Luceoriensi te Episcopũ: & Reipub. Senatorem dedit: cùm esset paratissimus etiam opimo magis aliquo præmio, virtutem tuam & eximia in Rempub. merita cumulare: quod dilatum ad tempus, quoad se occasio daret, nemini maiorem animi molestiam, quàm studiosissimis Reip. peperit. Nemo enim nescit, prospici in posterum industriæ, si boni honorentur, & primos quosq; titulos in Repub. adipiscantur. Nam sicut cadunt in irritum labores, si præmia laborum soli assequantur, qui laboribus non affuerunt; ita intenditur industria, si meritis cuiusque merces respondet. Nulli enim magis Rempub. arrodunt (Tiberius dicebat) quàm qui subsidia minimè merendo ab illa expectant: sibi ignaui, ipsi graues. Atqui tuus honor, omnium bonorum spem confirmauit, qui

adire periculum virtutis suæ existimabantur, si vni MACIEIOVIO iudiciũ Regis nutaret. Verũenimuerò non tam sunt aduersa virtuti fata, non tam immemores æqui & iusti qui rerum potiuntur, quin sua corda ad bonas ciuium artes liquefaciant. Hîc mihi quanta copia se offert, commemorandi ea, quæ pro Ecclesiæ ac Reip. ornamentis amplificãdis gesseris, simul atque ad apicem Episcopalis dignitatis peruenisti. Quis tuam sanctitatem in vita, grauitatem in moribus, in dictis & factis authoritatem, pro maiestate ornauerit? Cælitus demissum, aut ex vetere memoria aliquem Episcopum suscitatum, homines dicebant. Quis enim vnquam verioribus affectibus Episcopum expressit? Quis magis paternos spiritus erga Diœcæsanos gessit? Rude illud est genus hominum, & armis ferox, quod te priorem Episcopum sortitum fuit: sed non minùs quàm patri, & verissimo animarum curatori, vsque ad extremam submissionem obnoxium, ita tibi partim liberalitate tua, partim amore deuinctum; vt nulla grauitas dicendi exprimere queat, quanto illi dolore te dimitterent, in tua vel Reipub. causa, aliquo abeuntem, quanta sollicitudine prosequerentur absentem, quàm anxiis votis desiderarent morantem, quanto gaudio exciperent redeuntem. Testes esse possunt illæ insignes tuæ ad Sanctissimos Syxtum V. &

Gregorium xiiij Romanos Pontifices tota Polonia, sermone omnium celebratiſsimæ, gratulandi cauſa, nomine Sereniſs. Regis Sigiſmundi III. ſuſceptę legationes, quantum deſiderium tui in omnium bonorum animis abſens excitaueris. Porrò quantā celeritatē in munere hoc conficiendo adhibueris, quā to cum ſplendore Vrbium parenti pedem intuleris, quanta magnificentia, pro patriæ & Sereniſs. Regis honore ibi egeris, quanta dicendi grauitate, orationis maieſtate functus oratoris officio, apud ſupremum Senatum, ipſosq; Sanctiſsimos fueris, quæ verba, quàm paterna, quàm benigna, quàm Romanis Pontificibus digna, retuleris, vſque in Poloniam tantæ rei, per te geſtæ litteræ & nuncij afferebantur, & ad poſteritatis memoriam factum deuoluetur. His enim legationibus, eam gloriam es conſequutus, quæ vix cælo capi poſſe videatur: hac Summorum Pontificum, hac Sereniſsimi Regis animos mirandum in modum tibi conciliaſti, hac Rempub. pro tuo honore ſolicitam, recreaſti, hac omnium ordinum voluntates ad amplificandam tuam dignitatem conuertiſti. Nihil enim in priuatā gloriā ex his legationib. deriuatum eſſe voluiſti, ſolaq; operis locatio tua, ſplendor autē Reip. & Sereniſs. Regis fuit. Multa ſupprimo, quę ſe ipſa produnt, ſupprimique grauiter ferunt. Dimiſsus

namque

namque ex Vrbe es, non dicam quanto & quam splendidissimo comitatu, quàm frequenti summorum virorum tibi in Poloniam faustum reditum precantium & singularibus votis tuum iter prosequentium concursu: quo genere officii, præsertim apud exteros, quid potest esse iucundius, quid plausibilius? Hæret credo hærebitq; semper animo tuo illius temporis recordatio, quo ad amicitiam cum viris in Italia primariis, adglutinandam, tum primũ aditus est tibi patefactus. Quæ nominis in exteros propagatio, quantum habeat & ad vitæ splendorem & ad authoritatem parandam momenti, istis est notum qui istius generis hominum notitia & consuetudine in Repub. florẽt. Sic igitur legationib. perfunctum, magno animi gaudio patria reducem atq; incolumem conspexit, nec quòd rediisses modò; sed quod de summa voluntate summæ sedis, incredibiliq; studio in hoc Regnum, Maiestatem Regiam certiorem fecisses: atque ita omnia ex animi sententia confecisses, vt quid ad cumulum addi posset, non haberetur. Gloriosum hoc tibi, non solùm id temporis, quando inuidia præclara quæuis gesta inuadit, sed etiam apud posteros, suum cuique decus sincerè rependentes, si hîc te consistere tua virtus pateretur: sed longè plura tibi pro immortalitate nominis restabant aggredienda, longè maior rerũ mo-

 les

les te manebat, postquam ad Ecclesiam tuam redi-
isses, quam vt resalutasti, omnes te vt solem ad se re-
deuntem, à quo colorari solebant aspexerunt, satia-
reque satis oculos præsentia tua luce clariore non
potuerunt. Redibas enim pastor ad gregem, pater
ad filios, medicus ad ægrotos, patronus ad clientes,
benefactor ad egentes, grauemq; pectoris solicitu-
dinem, qua per absentiam tuã conflictabantur præ-
sentia discutiebas. Sensisse te puto inuitis genis e-
rumpentes lacrymas, ac parum dissimulata suspiria:
cùm frequenti multitudine cleri, nobilitatis, plebis,
ad te salutandum esset concursum: cùm vnusquisq;
pro se certaret, vt & affectu maiore, & gaudio effi-
caciore tibi suum officiũ declararet: cùm tu quoq;
neminem tristem à tuo conspectu dimitteres, pater-
nè omnibus benediceres, & ad religionis constantiã
grauiter hortarere. Hoc est veri Pontificis munus,
non contundere animos hominum ac deprimere;
sed fouere atq; attollere, facemq; ad lumen veritatis
errore lapsis præferre: Quod tu sic imples, vt æqua-
ri tibi hac solicitudine nemo posit. Testes sunt per
te Ecclesiæ, ad formam augustiorem reductæ, cultus
diuinus pristino decori restitutus, clerus emendatus,
pietas propagata, quæ singula quò minore acerbi-
tate, maiore autem clemẽtia perficis, eò maius desi-
deriũ tui relinqui in animis posterorum cupis. Quò

quisq;

quiſq; enim eſt melior qui rebus præeſt, eò beneficiis magis quàm remediis, liberalia ingenia experitur. Hunc tu curſum tenes, nec eſt mirum quòd flexibiles quãcunq; in partem à te ducimur : eoq́; obſequii continuatione peruenimus, vt propè omnes vnius moribus viuamus. Macte hac lenitatis gloria, qua conſequutus es, vt te omnes non minùs quàm ſeipſos ament, nihil periculi tui cauſſa detrectaturi, ſi experiri velles ſiq́; hoc genus ſtudii pietas tua non refutaret. Iam etiam illud planè paternum habes, quòd vt vno te nihil excellentius, ita te vno nihil moderatius, nihil clementius, nihil exorabilius, ſolusq́; videris inter cæteros, non aliter atq; Rex inter apes, aculeo carere : nec pungis niſi ad ſalutem, adeoq́; paternum affectum in ſubiectos tibi geris, vt & ſontibus cupias parcere, ſi modò velint ipſi reſipiſcere. Quid enim in factis, quid in voluntate tua eſt animaduerſum, quòd ſæuitiã, quod acerbitatem ſaperet : vt planè liqueat, ſingularem iſtam animi lenitatem, non eſſe aſſumptam, ſed perpetuam, & verè natiuam ac genuinam : neq; minus quàm ab acerbitate, à reliquis vitiis abes, faſtu, inſolentia, aſſentationum ſtudio, non auras plauſuũ publicorum captas, non te mendax aſſentatio titillat: quo fit, vt quicunq; ad te conueniũt, ad vſum munusq́; conueniant. Iam illa etiam virtus tibi in cęlo

 ſedem

ſedem parauit, quæ ſola Epiſcopis propria, & quæ in populum nulla æquè grata, beneficentia nempe, quæ tanta in te elucet, quantam vix Regum opes ſuſtinerent. Vſibus tuis detrahis, vt in publicum magnificus ſis, hominibusq; iis maximè prodes, quorum opera vel Eccleſiæ, vel Reipub. eſt frugifera. Nam quæ temporum iniquitas, obruet magnificam illam tuam voluntatem, qua patrimonii tui iuſtam partem, Collegio Patrum Lublini, perpetuis tēporibus donaſti? vt & Doctores iuuētutis, & Deo vacantes haberent, vnde neceſsitatibus ſuis prouidere poſſent. Neq; vnum hoc liberalitatis tuæ bonum, ſed infinita alia, non ſolùm per Poloniam; ſed etiam per Italiam lucent. Non enim vnum aliquod bonū vno die præſtas, ſed per ſingula ferè horarum momēta, aliquid largiris, aliquid das, quod te in dies magis ac magis beet. Nolo receſere plurima exempla eorum, quos fortunæ tuæ viribus in maius extuliſti: & quorum egregias virtutes, ſplendore fortunarum tuarum illuſtraſti, amplificaſti, auxiſti, & in ore hominum atq; in famæ honore poſuiſti. Honor te æternus annalium hoc nomine, non iſta breuis prædicatio manet, nec tam breui monumentorum genere; ſed longè locupletiori & vberiori tanta virtus æternitati mandabitur. Obſtat verecundia quo minus ſingula percenſeam, & tua amplitudo parua nō

capit:

capit: quæ eò virtutum gradibus aſcendit, vt non poſsit nõ ab omnibus melius videri, quàm à me celebrari. Cùm igitur tali te Epiſcopo, Luceorienſis Eccleſia diu læta frueretur, cerneretq; ſe diutius frui non poſſe: ob maiores in dies & clariores virtutes tuas, quarum fama per omniũ ora frequens erat, & Sereniſ. Regis voluntas, vſq; adeò in te propenderet, vt quoties de ornãdis viris de Repub. benè meritis cogitaret, tu vnus maximè illius animo occurreres; te tantùm eſſe ſciebat, vt nulla res ſit, quam non & conſilio regere, & auctoritate tueri, & virtute conficere poſſes: in teq; vno & Pontificis, & Senatoris veri Ideã expreſſam eſſe cerneret: vt hoc iudicium ſuum de te aliquo teſtimonio honorifico cõprobaret, ad Eccleſiam Cracouieñ. à Luceorieñ. te tranſtulit: tripliciq; honore te ſimul beauit, vt ſcilicet & Epiſcopus primarius, & maior inter Epiſcopos Senator, & Cancellarius Academiæ noſtræ eſſes. Qui honor adhuc tibi cum maiorib. tuis ſummis in Repub. viris cõmunis eſt; illud in hoc honore tibi proprium, quòd ſic agas vt nemo tibi ſit inimicus, nemo tuum dictum aut factum minimum carpat, nihil in te quòd reprehendat inueniat, quæ rara mentis eſt felicitas. In aliis ferè quod laudes eligendum eſt, quędã arte declinanda ne incurras, idq; etiã in iis, qui inter optimos numerantur; tu tanta innocen-

nocentia es, vt non vitium aliquod seu nebula, reliquum vitæ splendorem obscurauerit, tanta conscientiæ tuæ puritas, tanta concordia, tantus con centus, vt nihil referat, quid vituperetur apud te, aut quid prædicetur in te. Si pietatem spectes, quid sanctius? si doctrinam, quid prudentius? si innocentiam, quid simplicius? quæ quamuis singula præ clara, nihil tamen fers impatientius, quàm qualia facis, talia de te prædicari. Iurisditionem quod attinet; quanta hîc religio æquitatis, quanta legum reuerentia, tam asiduus in tribunali es, vt labore refici & reparari videaris. Quis idem curæ atque sudoris sumeret? Quis adeò loco suo aut deseruit aut sufficit? nullus tibi labor durus est, & quamuis veteribus negotiis noua accrescant, ac tot quasi catenis, maius in dies occupationum agmen extēdatur, tamen tu nihil lassaris, nec sub tanta mole rerum succumbis. Nulla in audiendo difcultas, nulla in respondendo mora, adeunt statim, dimittuntur statim. Iam in omnibus cognitionibus, quàm mitis seueritas, quàm non dissoluta clementia: nimirum non tibi; sed hominibus geris magistratum; possumq; liberè dicere, te esse vnicum, in quo nititur salus subiectorum. Neque solùm in teipso sanctimoniam istam exhibes, verumetiam eandem in his quos in partem muneris assumpsisti

requiris: haud ignarus, Episcopo alienam quoque culpam esse præstandam, non tantum ipsi ab omni contagione vitiorum abstinendum. Etenim iuxtà turpe putas, quid agat is, cui vicem tuam delegâris, vel nescire, vel negligere; quo fit vt nemo tuorum, spe te celandi, peccet, aulamq; non minùs tuã quàm teipsum integram & castam conseruas. Porrò quem animum in Rempub. geras, quis comprehendere litteris potest? sic in consilio versaris, vt nihil nisi salutare patriæ suadeas, nihil nisi gloriosum ipsi in cogitationem admittas: sic verba facis, vt omnes & affectus tui in Rempub. & iudicii experimentum quantum maximum capere possunt capiant. Tantùm enim rerum, tantùm exemplorum, tantùm antiquitatis tenes, quantùm ad maximas res gerendas sufficit. Sedet in animo tuo Reipub. dignitas, nunquam ab illius custodia oculos dimoues, nunquam vlli rei plus inuigilas: adsueuisti tecum calculum ponere, sic exire, sicq; redire, tanquam rationem redditurus. Nullum esse impendium magnificentius putas, quàm quod in Rempub. erogatur. Hæc est virtus Senatoris immortalitatem merituri, qua tu sic nites, vt omnibus lucem ipsius præferre possis. Iam in Academiá qualis Cancellariatus tuus? nonnè munificus? Non est opus commemorare, quem honorem dicendi Magistris, quam dignationem sa-

pientiæ Doctoribus habeas, vt sub te vires studia re ceperunt, vt in amplificanda dignitate Academica totus versaris; breui ambitu verborum hæc nemo comprehenderit. Non exulant sub te litteræ; sed florent, non decrescunt; sed augentur, & in maius decus, te dante manum nituntur. Quo magis sperare debes, vices tibi suas repensuras, & ad immortales tuas virtutes ornandas lumen allaturas, seriaq; carmina, & nobiles panegyricos meditaturas: tu modò persta in proposito illis benefaciendi, & probabitur nihil feracius & vberius, non modò ad laudem; verùm etiam ad nominis memoriã sempiternam, litteris dari posse. Reliqua enim rerum nostrarum, alium Dominum vbi decesserimus sortientur: at quæ litteris ad memoriam posteritatis transmissa fuerint, nunquam nostra desinent esse: quod te adeò non fugit, vt vel in hoc præcipuè omnes tuas curas consumas. Habes enim ante oculos mortalitatem, à qua vindicare te, cùm factorum insignium celebritate; tùm litterarum monumentis cupis. Iam illud etiam est in te singulare, quod bona ingenia adeò promoues & prouehis, vt vel sola hæc virtus, cælo te inferre posit. Neq; enim vlla benefaciendi prouincia, merita hominum magis Deo applicat, quàm quę in doctis ornandis & augendis consumitur. Hoc est singulare decus tui nominis, hoc

lumen

lumen maiestatis tuæ, quod te ab omni obscuritatis nube, perpetuis sæculis est vindicaturū. Repullularunt sub te honesta studia, reuixerunt ingenia, certatimq; moliuntur egregia tua decora memoriæ sempiternæ consecrare, idq; non caducis titulis, aut operosis structuris quas conficit vetustas, cōtemnit aut etiam carpit posteritas, sed illis monumentis, in quæ sola non liceat neq; ventis, neq; imbribus, imò quæ ipsa ętate magis ac magis illustrantur. Æquum enim est, vt quos tuis sumptibus alis, partim hîc, partim alibi, illi vicissim memoriam tui in omnem ęternitatem alant & disseminent; facientq; hoc semper, nec vnquam in hoc opere animus illorum defatigabitur. Neq; verò hoc vno beneficentię genere tantùm es contentus, (nimis em̄ angustè videretur liberalitas tua decurrere) sed passim in omnes qui opis tuæ indigent liberalitatem exerces, hauriunt omnes tāquam ex fonte inexhausto, quod sibi commodum sit, quamuis tu non exarescas: hacq; virtute adeò ingentem hominum multitudinem tibi obstrictam tenes, vt vel sola niti ad omne decus possis. Namq; ea facis, quæ hominum amorem & reuerentiam tibi conciliant, nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refers, recteq; facti tui non ex populi sermone mercedem; sed ex facto petis: quod ego arduum inprimis, & præcipua laude dignum esse

 puto;

puto: indeq́; tibi clarum & duraturum æternitate nomen effloruisse assero. Iam & illud multum ad populum gratię habet, quod sis obuius, & expositus, plenusq́; humanitate, & quantum mihi datur cernere, multa in te eminent atq; elucent, quæ omnium animos adficiant, sermo varius, dulcis inprimis, & qui repugnantes quoq; ducat & impellat. Porrò cùm cætera vita, tùm vel hoc vno magnus es, quod dignitatis princeps etiam humiles personas in tuum conspectum admittis, & benignè de rebus illorum cognoscis, vetasq́; quenquam à te repellere: quod vel ita rarum in principibus viris est, vt pleriq; contaminari se, & principes esse desinere putent, si homuncionem aliquem in suum conspectum admittant: obliti in tanto fastigio, quod & ipsi homines sint, & hominum causa in summũ euecti: ad te porrò tanquam ad clarum & beneficum sydus, omnes aduolant, obijcere se pro te mucronibus insidiantium parati; quem fructum virtutis existimo ego esse maximum isq́; tibi adeò constat, vt nulli magis. Ex hoc incredibili hominum in te studio ille zelus pro tuis omnibus ornamentis fluxit, quod nullam tam magnam dignitatem esses consequutus, qua maiorẽ tibi non optarent. Quæ etenim oratio tam felix, quod ingenium tàm fæcundum vnquam fuit, quod plausum illum publicum incredibilemq́; vniuersorum

rũm lætitiam queat exprimere: quãdo Cardinalem te creatum, in hac Vrbe proclamatũ fuit: qui amoris ardor, qui ſtimuli, quæ faces, illas acclamationes ſubiecerunt: quando primum indumenta coccea & purpurea accepiſti, & tanquam ſydereus ac cæleſtis emicuiſti. Non hominum ingenii, ſed tuæ virtutis tuorumq; meritorum voces illæ fuerunt, quas nulla adulatio inuenit, nullus terror expreſsit. Teſtis ipſe es, quæ in omnium ore lætitia, qui clamores, cùm nõ ſolùm templa, ſed etiam tecta vocibus reſonarent, nihilq; tantis acclamationibus ſatis clauſum eſſet: cùm á vi gaudii omnis ætas omniſq; ſexus auferretur, nec ſenes imbecillitas, nec virgines pudor domi teneret, quo minùs exilirent gaudioq; omniũ gauderent. Quæ animorum effuſio nonné tibi pro argumẽto eſt, Diis immortalibus tuas virtutes curæ eſſe, quibus tam glorioſa ſolatia cõtigerunt. Quanta á te ex tam ſublimi loco præſidia, tum in Eccleſiã, tùm in Rempub. expectẽtur, tu ipſe pro tuo acumine vides: nam quæ tua eſt prudentia, grauitas, conſtantia, celeriter te omnia à Repub. & Eccleſia incõmoda repulſurum putãt: nouerunt omnes animi tui ſenſum, ad omnem optimarum actionum laudem, & veræ gloriæ cumulum vndiq; colligendum ſatis excitatum; nouerunt vitæ ſumã cum dignitate actæ inſtitutionẽ; nouerunt te ſumũm & ſingularẽ virum

in omni

in omni negotio apparuisse; nouerunt qualis domi, qualis foris, semper fueris; nouerunt fidem & integritatem tuam, neq; dubitant quin omnia quibus tantummodo tuam industriam applicaueris, felicissimè sint cessura. Et quoniam assequutus es nomen, quo nullum augustius inueniri potest, tantusq́; iam es, vt & animi & fortunæ bonis õnes excesseris, pro explorato quisq; habet te huic amplissimo splẽdori, non solùm responsurum, verumetiã ad eum cumulandum, ex tãta virtutum copia, plurimum momẽti allaturum: quam mentem tibi vt velit esse Deus Opt. Max. perpetuam, & Ecclesiæ, & Reipub. interest maximè. Quibus vt hic amplissimus honor tuus, ad ornamentum & præsidium cedat, tuis omnibus ad solatium, tibi verò ad meritum, faxit idem Deus Opt. Max.